

Celebratissima est Gratia DEI Gen. 6. v. 8. *Noe invenit* grā *Gratias,*  
etiam coram Deo Exod. 33. v. 19. Ego, ostendam omne bonum tibi inquit  
Jehova, gratiofus; ero, Cui gratiofus ero & miserebor, cujus misere-  
bor. Rom. 3. v. 24. 25. *Justificamur gratis per illius gratiam.* Videatur  
Gerhard. tom. I. Loc. Theol. de nat. DEI cap. 17.

VI. Misericordia Dei est propensissima ejus voluntas, qua  
cordi ipsi est miseria hominis, eumq; pro suo ultraneo affectu & a-  
more benevolè sublevat.

Ebraeis dicitur, רַחֵם à Rad. רַחֵם quod in Piel est intimis visceri-  
bus aliquem complecti, & commiserari sive commiserationis affectu cordi-  
tus tangi & commoveri erga aliquem ut Jerem. 31. 20. Osee II. v. 8. in  
Novo Testamento exponitur, per ἀλαγχνίζεσθαι. Sic Matth. 9. v. 36.  
Quum Christus turbas vidisset, affectu misericordiae tactus est er-  
ga illos, quod essent destituti, & desperati, veluti oves non habentes  
pastorem. Sic filius perditionis Lucae 15. v. 20. redit ad Patrem  
suum, qui videns illum misericordia motus est: & accurrens ruit  
in collum ejus & osculatus est eum. Unde Jacobi 5. vers. II.  
Deus vocatur valde misericors & commiserans, Dives Misericor-  
dia Ephes. 2. v. 4.

*Sed religiose notes:* Deus miserum neminem facit, sed inven-  
tum reficit. *Verissimum certè est, quod hanc in rem piè & rectè scri-  
bit Augustinus lib. 3. Confess. cap. 2. malevola est benevolentia, si quis  
miserum aliquem esse velit, ut ejus misereatur. Item in expositione  
Psal. 125. qui, ut faciat misericordiam, optat esse miserum, crudelem  
habet misericordiam, quo modo si medicus ut exerceat artem suam,  
optet esse multos aegrotos, crudelis est medicina.*

VII. Quemadmodum verò primitus in Adamo omnes sine  
ullius exceptione conditi fuerant ad vitam aeternam, & postea om-  
nes in lapsu Adami perierant: Sic quoque in Adami Reparatio-  
ne & redemptione omnes sine ullius exceptione redimuntur.

*Ea enim promissio seminis contrituri caput serpentis facta est Ada-  
mo, tanquam Parenti totius generis humani, adeoque & omnibus  
singulisq; ejus posteris, uti ex tota historia Gen. 3. v. 15. & seq. mani-  
festò constat. Certè omnia, quæ ibi post lapsum decernuntur,  
sine ulla exceptione prorsus universalia sunt, & sine discrimine om-  
nes lapsos concernunt. Transgressio legis nocuit omnibus. Dia-  
boli maledicuntur omnes. Inimicitia ponitur inter omnes, inter  
semen*

semen